ſponſo ſuo occurrere opoꝛtebit: que licet ſe
miſeram nudā ⁊ inopem reputet: ſeipſaꝫ ta/
men ab hoc deſiderio compeſcere non pote/
rit niſi eum deſideret cuius pꝛeſentia replet ce
lum. Hoc ſanctum deſiderium cum multis
bonoꝛum operum exercitijs intimis deuoti/
onibus ad plenum perficitur: nec ex cogita/
tione generatur: nec meditatione foꝛmatur
nec humana induſtria oꝛdinatur: nec ver/
bis pꝛeconceptis pꝛonunciatur: ſed intimis
ſuſpirijs euapoꝛatur: vberrimis fletibus vl
tro pꝛofluentibus manifeſtatur. De hoc de/
ſiderio dicit ps. Domine ante te omne deſi
derium meum. acſi dicat. Tam magnum ē
ꝙ nullis tibi poſſum verbis expꝛimere. Sꝫ
ante te eſt qui noſti coꝛda. Q autem ex inti/
mis ſuſpirijs talia deſideria exalentur ī ſinu
at cum immediate ante pꝛedictum verſicu/
lum dicat. Rugiebam a gemitu coꝛdis mei
Et immediate poſt ſubiungit. Et gemitus
meus a te non eſt abſconditus. ac ſi dicat.
Talia deſideria non mea induſtria foꝛman
tur ſed ex ſuſpirijs ante deſiderium in deſi/
derio poſt deſiderium hauriuntur. De hoc
deſiderio dicitur Prouer. xiij. Deſideriū ſi
compleatur delectat animam. Talia enī de
ſideria ſemper effectus ſuos conſequuntur.
Unde ibidem in pꝛouerbijs. Deſiderium
ſuum iuſtis dabitur. Et iterum Deſideriū
iuſtoꝛum omne bonū. Ad talia enī deſideria
vt conſequantur quod deſiderant pꝛomiſſa
tam in veteri ꝗꝫ in nouo teſtamento dominꝰ
ſe conſtrinxit. In veteri cum dixit. Omnem
locum quem calcauerit pes veſter. veſter erit
ac ſi diceret. Quantūcunqꝫ pedem deſiderij
in bona mea extendere poteritis tantum eri
tis accepturi Reg. j. c. ij. Tolle quantū deſi/
derat anima tua. Et in nouo teſtamēto. Si
militer ſe conſtrinxit cum dixit. Amen amē
dico vobis: quicquid petieritis patrē in no/
mine meo dabit vobis. Sed diceret aliqs.
Quid nobis ⁊ talibus deſiderijs que in no/
ſtra poteſtate minime conſtituūtur. Reſpō/
deo. Si dabis deo quod habes dabit tibi de
us quod non habes. Et ſi facis quod potes
facit deus quod tu non potes. Propter qꝺ
in Leuit. dicitur. Sanctificaboꝛ in his qui
appꝛopinquant mihi. ac ſi diceret. Quanto
plus homines in his que poſſunt mihi ap/
pꝛopinquauerint tanto ſanctioꝛē me eis ex/
hibeo. Unde iacobus. Appꝛopinquate deo
⁊ appꝛopinq̄bit vobis. Appꝛopinquate deo
in his in quibus poteſtis: ⁊ appꝛopinquabit
vobis deus in his in quibus non poteſtis.
De hoc deſiderio intendebat dominus cum
dixit. Beati qui eſuriunt ⁊ ſitiunt iuſticiam
quoniam tales per meam pꝛeſentiam ſatu/
rabuntur. Juſtum quippe vt cum ſponſa do
no dei tam impatiens habeat deſideriuꝫ ad
dei pꝛeſentiam ſuſpirandam tanto ſuo deſi/
derio: nec donum tam magnificum euacue
tur. De hoc deſiderio dicit Bern̄. Opoꝛtet
vt ardoꝛ deſiderij ſancti pꝛeueniat facieꝫ eꝰ
ad omnem animam ad quam ipſe eſt ventu
rus. Et ſic pꝛeparet locum domino. Et tūc
ſcit anima: quoniam iuxta eſt dominus. Cū
ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam. Hic ſit finis
deſiderij in ſcribendo: ſed non ſit finis deſide
rij in deſiderādo. Quod ipſe pꝛeſtare digne
tur. qui ad hoc deſideriū miſericoꝛditer nos
inflammet ⁊c.

Sermo XXVII

Adhuc vnum ti
bi deeſt. Habitis duobus paſſi
bus conatu videlicet indeficien/
ti ⁊ deſiderio vehementi. Nunc reſtat dicen
dum de tertio amoꝛe videlicet excedēti. Hi
enim tres paſſus deſignati ſunt Exo. vbi di
citur. Ibimus viam trium dierum in ſolitu
dinem. De hac charitate duo breuiter tan/
guntur: videlicet quid ſit charitas. ſecundo
de modo excedēti qui eſt neceſſarius ad hūc
occurſum. De pꝛimo ſciendū ꝙ cum queri/
tur quid ſit charitas duplex eſt queſtio eo ꝙ
ſm̄ Bern̄. Duplex eſt charitas ſub/
ſtantialis ⁊ accidentalis. Subſtātialis ē il/
la ſumma ⁊ ineffabilis charitas que deus ē.
Accidentalis que eſt in aīa ſancta ipſaꝫ pfi/
ciens ⁊ inflāmans. pꝛima eſt creatoꝛ. ſecun/
da creatura. Pꝛima eſt fontale pꝛincipium
omnis ſanctitatis ⁊ deuotōnis: a q̄ ſecunda
defluit tanqꝫ radius a ſole caloꝛ ab igne. De
quibus Bern̄. Recte charitas deus ⁊ dei do/
nū dicit̄. Itaqꝫ charitas dat charitatē ſub/
ſtātia accidētalē. vbi datē ſignat nomē ē ſub

[illegible]
[illegible]
[illegible]